



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

22. Notitia de jactivis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

in pago illo, in loco qui dicitur ille. Habet in longo dextros tantos, & in lato dextros tantos. Subjungit de uno lato terra lui, de alio lato terra illius infra ipsa terminatione & mensura ad integrum. Ita ut ab hodierno die unusquisque contra parte suo quod accepit habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde à die præsentis facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis verò, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona qui contra hanc commutationem pars contra parte suo venire conaverit, inferat pars pari suo ista tota servante, unà cum socio fisco, auri uncias tantas esse multandum, & præsentis commutationes duo uno tenore conscriptas omni tempore firmas & inviolatas permaneant.

Charta agnationis.

XVIII. Femina illa, ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter te per voluntatem tuam servus juris mei nomine ille ad conjugium sociavit uxorem. unde te vel procreationem tuam in servitio inclinare potueram. Sed mihi præparavit voluntas plenissima ut talem epistolam donationis in te fieri & adfirmare rogarem, ut si aliqua procreationes filiorum aut filiarum ex te nata vel procreata fuerint, sub integra ingenuitate cum omni peculiare eorum valeant Christo propitio permanere, & quicquid laborare potuerint cessum habeant, & nulli heredum ac proheredum meorum nullum impendant servitium nec hominum vel patronatus obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, defensionem vero vel mundeburdum Ecclesiarum aut bonorum hominum, ubicunque eligere voluerit, licentiam habeat ad conquirendum. Si quis verò, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc epistolam agnationis venire conaverit, inferat ei cui litem intulerit ista tota servante, unà cum socio fisco, auri uncias tantas esse multandum, & præsentis agnatio omni tempore firma permaneat.

Traditoria de terra.

XIX. Veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in loco qui dicitur ille, ante bonos homines qui subter firmaverunt, terram illam, id est, tam mansis &c. totum & ad integrum, quam ante

hos dies homine aliquo nomine ille per venditionis titulum accepto vero pretio visus fuit vendidisse; sed ante ipsos bonos homines ad integrum, ut quicquid prædicta venditione ei vendidit, per manus partibus ipsius lui vel herbam vel terram visus fuit tradidisse, & per suam fistucam contra ipsum illum exinde exitum fecit, ut quicquid ipse ille de ipsa terra à die præsentis facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. & cetera.

Traditoria de venditione.

XX. Notitia qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis nomine ille Missus in lustris viri illius super fluvio illo, in loco quod dicitur ille, ad illo manso vel illa terra quam ille homo hominibus illis ante hos dies ad casa sancti illius pagensis per chartam cessionis partibus ipsius illius per illud ostium vel anaticula de ipsa casa per herba vel terra de ipso manso, vel quicquid ad ipso manso aspicit, sicut in ipsa cessione est insertum, ad partem ipsius Ecclesie visus fuit tradidisse vel consignasse. Id sunt quibus præsentibus.

Notitia de servo.

XXI. Notitia qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in loco qui dicitur ille, seu in mercato, vel in quocunque loco, ante bonis hominibus qui subter firmaverunt, dato suo pretio ad hominem negotiantem solidos tantos, servum suum nomine illum visus est comparasse. Et ipse negotians ipsum servum superius nominatum per manus partibus ipsius lui visus est tradidisse, non fraude, sed in publico; ut quicquid exinde à die præsentis facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Id sunt.

Notitia de jacturis.

XXII. Notitia qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, ante viro illo Comite vel reliquis quampluris bonis hominibus qui subter firmaverunt, repetebat ei, dum diceret eò quòd homine aliquo nomine illo ante ipsum Comitem aframitum habuisset, à quo placitum venit ipse, ille placito suo custodiebat, & nec ipse ille ad eum placitum venit, nec missò in vicem suam direxit qui ulla sonia nuntiaffet, & placito suo neglexit, & jactivus exinde remansit. Id sunt quibus præsentibus fuerunt.

Securitas.